De arboribus furtim cæſis, & de ignorantia, & prohibitione domini.

2. Imp. GORD. A. Quintiliano & aliis.

SI ſervi veſtri, neſcientibus vobis, vel etiam prohibentibus, furtim arbores cæciderunt, quibus etiam propria pœna juxta legem ſaltui datam [1] fuerat præſtituta: fruſtra veremini, ne ex perſona eorum ultra [2] noxæ deditionem ſitis obſtricti: cum ex delictis ſervorum domini ignorantes vel prohibentes, ſi noxali actione conveniantur, ita condemnari debeant, ut aut noxæ dedere, aut condemnationem [3] ſufferre habeant in ſua poteſtate. PP. 3. Non. Junii, GORDIANO & AVIOLA CONSS. 240.

De plagio.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Eutychio.

SIve ſervum plagii paras accuſare ſolenniter, Præſidem provinciæ adire non prohiberis: ſive dominum ejus ſollicitati ſervi noxali judicio, ſive furti malueris convenire, ſuam tibi notionem Præſes [provinciæ] commodabit: non ignorans, quod ſi dominum elegeris, & [4] eo non conſentiente, quod intendis, commiſſum probaveris, vel noxæ dedendæ, vel damni ſarciendi, ac pœnæ præſtandæ habeat facultatem. PP. 5. Non. Octob. *Sirmii*, AA. CONSS. 293.

De rapina. De ſcientia, vel ignorantia domini. De judicio publico.

4. Iidem AA. & CC. Soſio.

SI ſervus ignorante domino, vel ſciente & prohibere nequeunte [5], res tuas vi rapuerit, dominum ejus apud Præſidem provinciæ, ſi necdum utilis annus exceſſit, quadrupli: quod ſi hoc effluxit tempus, ſimplici [6] noxali judicio convenire potes: Qui, ſi noxæ maluerit ſervum dedere: nihilominus cum ipſo, quantum ad eum pervenit, experiri non prohiberis. † Nam ſi eo conſcio, & prohibere valente: detracta noxæ deditione conventus, ad [7] ſummam condemnationis ſolvendam omnino compellendus eſt. † Sane, ſi criminis publici [8] accuſationem propter uxorem tuam a ſervo raptam, intendendam putaveris: non [9] contra dominum, ſed contra eum ſervum, quem facinus commiſiſſe proponis, hanc inſtituere debes. PP. 18. Kal. Septemb. *Sirmii*, AA. CONSS. 293.

De furto, & ope conſilioque domini.

5. Iidem AA. & CC. Menophilo.

SI tibi per furtum nec manifeſtum ancillam ſervus ope [10] conſilioque domini cum aliis rebus ſubtraxerit, cum inter ſervum & liberum civile judicium conſiſtere non poſſit, eum ob hoc delictum dupli pœnali actione, & de rebus propriis vindicatione, vel [11] condictione convenire potes. S. 5. Kal. April. CC. CONSS. 294.

TIT. XLII.

AD EXHIBENDUM [12].

De vindicaturo ancillam.

1. Imp. ALEXANDER A. Creſcenti militi.

SI dominium [13] ancillæ, de qua agis, ad matrem tuam pertinuit, nec jure a patre tuo venundata eſt, ejuſque proprietatem tibi vindicare paratus es: Præſes provinciæ exhiberi eam jubebit, ut apud judicem [14] de rei veritate quæratur. PP. Kal. Maji, ALEXANDRO A. CONS. 227.

De ſervo reo criminis.

2. Idem A. Syro.

SI criminis [15] alicujus reus ſervus poſtulatur, per ad exhibendum actionem produci a domino, non celari debet. PP. 11. Kal. Decemb. ALEXANDRO A. CONS. 227.

De exceptione rei judicatæ.

3. Idem A. Feliciſſimæ.

NEque ad exhibendum actio, neque proprietatis vindicatio, ſi nunc competit, propterea perempta eſt, quod [16] aliquando adverſus te ad exhibendum actione aliter pronunciatum eſt: quia commutatione litis alia res eſſe incipit. PP. Kal. Septemb. MAXIMO II. & ÆLIANO [17] CONSS. 224.

De inſtrumentis, & de in litem jurando.

4. Idem A. Flacillæ.

NOn ignorabit judex, ſi inſtrumenta [18] tui juris [19], quæ penes diverſam partem fuiſſe probaveris, ab eiſdem non exhibeantur, jurisjurandi [20] in litem facultatem deferri tibi oportere. PP. 3. Kal. Mart. AGRICOLA & CLEMENTINO CONSS. 231.

De poſſeſſore, & eo qui dolo deſiit poſſidere.

5. Imp. GORD. A. Sabiniano militi.

AD exhibendum actione non [21] tantum eum, qui poſſidet, ſed etiam eum teneri, qui [22] dolo fecit, quominus exhiberet, merito tibi a non contemnendæ auctoritatis Juriſconſulto Modeſtino [23] reſponſum eſt. PP. 2. Id. Februar. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De inſtrumentis.

6. Imp. PHILIPPUS [24] A. Palemonidi.

INſtrumenta [25] ad jus tuum pertinentia, partem diverſam invaſiſſe adſeverans, ſi quidem crimen [26] intendis, ſolennibus accuſationibus [27] impletis, fidem adſeverationi tuæ facito: ſin vero ad exhibendum intendis, judiciorum more experire. PP. 2. Id. Mart. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

De culpa, & dolo, & re deteriorata.

7. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Vitalianis.

EXhibitionis neceſſitate tenetur, qui facultatem habens, culpam vel dolum [28], in explendo præcepto committit: ita ut ſi rem deteriorem [29] exhibuit, æquitas [30] exhibitionis perficiat, ut quamvis ad exhibendum agi non poſſit: in factum tamen actio contra eum detur. PP. 16. Kal. Junii, MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

De commodato & depoſito.

8. Iidem AA. & CC. Photino.

SI res tuas commodavit [31], aut depoſuit is, cujus in precibus meminiſti, adverſus tenentem ad exhibendum, vel vindicatione [32] uti potes. Quod ſi pactus [33] ſit, ut tibi reſtituantur: ſi quidem ei, qui depoſuit, ſucceſſiſti jure hereditario, depoſiti actione uti non prohiberis: ſi vero nec civili, nec honorario jure ad te hereditas ejus pertinet: intelligis nullam te ex ejus pacto, contra quem ſupplicas, actionem ſtricto [34] jure habere: utilis [35] autem tibi propter æquitatis rationem dabitur depoſiti actio. S. 5. Kal. Maji, *Heracliæ*, AA. CONSS. 293.

De chirographis & inſtrumentis ad debitum ſolutum pertinentibus.

9. Iidem AA. & CC. Fauſtino.

SI ex [36] quocunque contractu apud Præſidem provinciæ jure debitum, cui oportuerat, te reddidiſſe probaveris: chirographa tua, ex quibus jam nihil [37] peti poteſt, & inſtrumenta ad eum contractum pertinentia, tibi naturaliter [38] liberationem conſecuto exhiberi ac reddi jubebit. S. 8. Kal. Septemb. CC. CONSS. 294.

TIT. XLIII.

DE [39] ALEATORIBUS [40], ET ALEARUM LUSU.

1. Conſt. argumentum ex βασιλικῶν lib. 60. tit. 8. de aleatoribus, Jacobo Cujacio interprete.

COnſtitutio prohibet ludos, exceptis quinque: definit etiam multam in aleatores, permittens Præfecto Urbi, & Præſidibus provinciarum, & Epiſcopis ea inquirere & prohibere, & in iis habitos contractus reſcindere. Dat & actionem ex quinque conceſſis ludis, & repetitionem eorum, quæ ex ea cauſa debentur, & ſtatuit decem librarum multam in eos, qui conſtitutionem violari permiſerint.

Aliud argumentum ex Nomocanone.

1. Imp. [41] JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

VIctum in aleæ luſu, non poſſe conveniri [42]: & ſi ſolverit, habere repetitionem [43], tam ipſum, quam heredes ejus adverſus victorem, & ejus heredes, idque perpetuo, & etiam poſt triginta annos [44]. Quod ſi vel ipſe, vel ejus heredes repetere neglexerint: liceat cuicunque volenti, & præcipue civitatis, in qua id factum eſt, Primati, vel defenſori [45], repetere, & in opera civitatis id expendere. Data autem ſuper aleæ luſu cautio [46] ſit irrita, & condici poſſit.

† Sed & ſi quis ſub ſpecie alearum victus ſit lupinis [47], vel aliqua quavis materia, ceſſet etiam adverſus eum omnis exactio. † Data licentia Epiſcopis hæc inquirendi: debentibus etiam Præſidibus, & primatibus & defenſoribus civitatum eos hac in re adjuvare. † Duntaxat autem ludere liceat μονόβολον [48], liceat item ludere κοντομονόβολον [49], κυντανὸν κόντακα, & item liceat ludere [50] χωρὶς τῆς πόρπης, id eſt, ludere vibratione Quintiana [51], abſque ſpiculo, ſive aculeo, aut ferro, a quodam Quinto ita nominata hac luſus ſpecie. Liceat item ludere περιχυτήν, id eſt, exerceri lucta [52]: liceat vero etiam exerceri hippice [53], id eſt, equorum curſu, ſeu hippodromo, abſque dolo & circumventione. Et liceat quidem ditioribus ad ſingulas commiſſiones, ſeu ad ſingulos congreſſus, aut vices unum aſſem, ſeu numiſma, ſeu ſolidum deponere & ludere, cæteris autem longe minori

1 Statutum diſponens ſuper eo, ſuper quo diſponit jus commune, interpretationem accipit ſecundum jus commune, & reſtringitur, ne quid ſequatur abſurdi. Alex. *ad l. inter cætera. num.* 5. *de liber. & poſthum.* Paul. de Caſtr. *ad l. fin. §. in computatione. in fin.* J. *de jure deliber.* Jaſ. *ad l.* 1. *n.* 22. *de leg.* 1. Mod. 2 §. 2. *in fin. Inſt. h. t.* vid. *l.* 2. *ff. h. t. l.* 7. §. 1. *D. de damn. infect. l.* 1. §. 15. *D. de vi & vi arm.* 3 *l.* 17. §. 18. *D. de ædilitio edict.* 4 Et non eo conſentiente. Cujac. hunc locum ita reſtituit ex Græcis. 5. *obſ. ult.* & recte. Gravior eſt enim in conſentiente, quam in ignorante actio. 5 Adde *l.* 2. *D. h. t.* adde *l.* 45. *D. ad l. Aquil.* 6 Id eſt, in ſimplum, hoc eſt, ut ſervus noxæ dedatur, & dominus ejus in id teneatur, quod ad eum pervenit: ita Græci. *Synopſ. Baſil. h. t. c.* 42. 7 In id quod intereſt, ſeu in quadruplum. *Synopſis d. loco.* 8 Raptus crimen publicum. vid. §. 8. *Inſtit. de publicis judiciis.* 9 Ex ſervi delicto dominus non obligatur. 10 Vid. *l.* 50. §. 1. *D. de furtis*, *l.* 53. *in fin. D. de verb. ſign.* vide Cujac. 6. *obſ.* 2. *ubi tractat de variis furum generibus.* 11 Vide *l.* 7. *D. de cond. furt.*

12 §. 3. *Inſt. de offic. jud.* & 10. *D.* 4. περὶ παραστάσεως ἤτοι ἐπιδείξεως πραγμάτων, 15. *Ecl.* 4. Oldendorp. *claſſ.* 3. *act.* 1. Quid ſit exhibere, vid. *l.* 2. *D. h. t. l.* 3. §. 8. *D. de hom. lib. exhib. l.* 22. *l.* 246. *D. de verb. ſign.* 13 Ad exhibendum actio vindicationis præparatoria. vid. *l.* 1. *l.* 3. §. 3. *D. h. t. l.* 3. §. 1. *ff. de liberis exhibend. l.* 1. *ff. de privat. delict.* Datur vindicaturo, interdicturo utrubi, optaturo & noxali judicio acturo. vide Cujac. 9. *obſ.* 7. 14 Militarem. 15 Ratione criminis perſona exhibenda. adde *l. ult. ff. h. t.* 16 Liberatus, quia non poſſidebat, non liberatur, ſi de novo poſſidet. *l.* 12. §. 1. *ff. h. t.* 17 Paterno. 18 Vid. *l.* 6. J. *h. t.* 19 Quando editio ſcripturæ petitur officio judicis, neceſſe eſt ſcripturam eſſe penes eum, a quo petitur tempore litis conteſtatæ, *l. fin.* J. *de fide inſtrum.* ſed ſi adverſarius ſe perdidiſſe diceret, an ſufficiat ſacramenti dictio. vide Alexand. *conſ.* 199. *vol.* 2. adi etiam Paul. de Caſtr. *ad l. publicatis. in fin. de teſtib.* & Aret. *conſ.* 219. Mod. 20 Ob rem non exhibitam juratur in litem. *l. pen. D. de in lit. jurand. l.* 21. S. *de rei vind.* 7. *Synopſ.* 18. *ex lib.* 15. *tit.* 4. *c.* 24. 21 Ad exhibendum actio datur adverſus poſſidentem, & eum qui dolo deſiit poſſidere. *Synopſis d. loco.* 22 *l.* 7. J. *l.* 9. *in pr.* & §. 2. *D. h. t.* 23 Modeſtinus non contemnendæ auctoritatis Juriſconſultus ſub Gordiano. 24 An Gordianus? 25 *l.* 4. J. *h. t. l.* 3. §. 14. *D. h. t. l.* 52. *in princ. D. de act. empt. l.* 3. §. 5. *ff. de tab. exhib.* 26 Invaſor inſtrumentorum criminaliter accuſari poteſt, & civiliter ad exhibendum cogi. 27 Accuſationis. Cujac. 13. *obſ.* 35. 28 *l.* 5. S. *h. t.* 29 *l.* 9. §. 3. *ff. h. t.* 30 *l.* 3. §. 14. *ff. h. t.* 31 Exhibitio rerum commodatarum, aut depoſitarum peti poteſt. 32 *l.* 13. *infr. de oblig. & act.* 33 Depoſitarius, deponenti utiliter paciſci poteſt. adde quæ notavi ad *l.* 53. *in fin. ff. de act. empt.* 34 Aliud ex æquo. 35 Utilis actio non ſtricto jure, ſed ex æquo datur. 36 Ad exhibendum agit debitor ſolutis iis quæ debebat: agit, inquam, ad chirographum & inſtrumenta cætera quæ ad contractum pertinent. 7. *Synopſ. Baſil.* 6. *ex lib.* 15. *tit.* 3. *c.* 28. 37 Naturaliter liberatus inſtrumentum poteſt condicere. vide *l.* 2. J. *de cond. ex lege*, *l.* 18. *ff. h. t.* 38 Puta ſolutione. *dict. l.* 18. *leg.* 2. J. *de cond. ex lege.*

39 *L.* 11. *D.* 5. & 3. *Eclog.* 2. 40 *L.* 11. *D.* 5. Legem de alea latam fuiſſe teſtatur Cicero *Philip.* 2. Aleæ nomen omnem fortunæ luſum complectitur, non tantum talorum vel teſſerarum ex pyxide, id eſt, fritillo vel phimo, quam pyxidem appellari opinor illo verſu *Juvenal.* 13. partos gladio vel pyxide nummos. vide Cujac. *hic.* 41 Interpretatio Latina. 42 Habet enim exceptionem adverſus agentem. *l.* 19. *in fin. ff. de prob. l. ult.* §. 1. *ff. quar. rer. act.* 43 Olim in quadruplum, hodie in ſimplum. An autem famoſa? Cujac. putat *hic.* Aleatorum enim nomen infame: unde & teſſerarios ſe appellari malebant. *Amm. Marcell.* 28. ut latrones προιστάς ſe vocari: Lenticulam aleæ damnatum quaſi infamem notat Cic. 2. *Philipp.* Differunt autem aleatores a teſſerariis: quantum fures a latronibus. 44 Vel quinquaginta, ut eſt apud Euſtath. libro de temporibus, *titulo* περὶ χρόνων. 5. Anatolius 13. *Nomocan.* 24. 29. Cujac. *c.* 32. *de diverſ. temp.* 45 Olim ædili. Martialis 4. *epigram.* 85. Ædilem rogat unus aleator: & 14. *Epigr.* 1. Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo. & Seneca *c.* 7. *de brevitate vitæ*, loca ædilem metuentia, popinæ, ubi plerunque alea luditur. 46 Excipe caſus infra ſcriptos, & *l.* 3. J. *h. t.* 47 Θερμίοις. Lupini, argentum comicum in vicem pecuniæ veræ poſtea perſolvendæ victori. 48 Id eſt, ſingulari ſaltu. 49 Saltu conto ſuffulto. 50 Alii legunt, κατ' ἄμφω, vel Catampo, vel Gatabo, quod genus ludi eſt Feſto. 51 Ab inventore ſic dicta. 52 Seu colluctatione. 53 Ἱππική, Troja ſive Pyrrhica, curriculum equorum, cui ſimiles ſunt κινδυνευθέρα, & τόρνη ludi explicati a Nicephoro Gregora. *lib.* 10. Porro Troja ſive Pyrrhica ſimulachrum eſt pugnæ

pecunia. Quod ſi plus luſum fuerit, neque repetitio detur, & ſolutum repetatur. Curent vero iſta Præſides, decem librarum pœna impoſita, ſi hanc legem contempſerint, vel contemni permiſerint.

2. Conſt. argumentum βασιλικῶν lib. 60. tit. 8. de aleatoribus, Jacobo Cujacio interprete.

COnſtitutio prohibet ea, quæ dicuntur ξύλινα ἱππικὰ [1] periculi repetitione propoſita in luſores, & publicatione domorum, in quibus hujuſmodi luſus peracti ſunt. Datur & repetitio ei, qui ſuperatus eſt, & ſolvit: quod ſi nolit repetere, id jubet in opera publica ejus civitatis erogari.

Aliud argumentum ex Nomocanone.

β. Αὐτοκράτωρ Ἰουστινιανὸς A. Ἰωάννῃ P. P.

Ἡ Διάταξις κωλύει τὰ παίγνια, καὶ πέντε ὑπεξαιρουμένων, ὁρίζει καί τινα ἐπιτίμια κατὰ τῶν κυβευόντων, ἐπιτρέπουσα καὶ τῷ ἐπάρχῳ τῆς πόλεως, καὶ τοῖς ἄρχουσι τῶν ἐπαρχιῶν καὶ τοῖς ἐπισκόποις, ζητεῖν καὶ κωλύειν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς γινόμενα πράγματα ἀποτρέπειν· δίδωσι δὲ ἀγωγὰς ἐκ τῶν ἐπιτετραμμένων παιγνίων, καὶ ἀπαίτησιν τῶν ἐντεῦθεν χρεωστηθέντων, δέκα λιτρῶν ἐπιτίμιον ὁρίζουσα κατὰ τῶν συγχωρούντων παραβῆναι τὴν διάταξιν.

Aliud argumentum Latine.

NOn licere ludere his, qui vocantur equi lignei [2], neque ulla quavis aleæ ſpecie, exceptis ludis, quos in anteriore conſtitutione præmiſimus. Loca vero, in quibus hujuſmodi equis ligneis luſum fuerit, publicentur: & ſoluta [3] hujus ludi occaſione repetantur: vel ſi repetere nolent, qui perdiderunt, repetitio fiet per Præfectum & Præſides provinciarum: & applicabitur [4] hujuſmodi pecunia publicis operibus. Prohibeant etiam cætera, quæ in hujuſmodi ludis ſiunt illicita, ut blaſphemias [5], & ſi quæ talia. Balſamon notat de equi lignei *ſignificatione incidiſſe apud imperatorem gravem quondam diſputationem, quibusdam aſſerentibus illum ludum ſignificari, quo pueri extra circum aurigando pro equis utuntur hominibus, aliis vero contra contendentibus ligneam eſſe fabricam per ſcalas ligneas exaltatam, habentem in medio diverſa foramina: nam qui hoc genere ludebant, quatuor globulos diverſorum colorum ſuperjiciebant ex ſuperiori parte, & qui primus globulorum per foramina ex ultimo foramine egrediebatur, hic victoriam dabat ei, qui projecerat. Nunc veterem harum legum tranſlationem a nobis quoad fieri potuit, ex libris manuſcriptis emendatam ſubjiciemus.* Cont.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

ALearum uſus antiqua [6] res eſt [7], & extra [8] operas pugnatorias [conceſſa,] verum pro tempore abiit in lachrymas, multa millia extranearum nationum ſuſcipiens. Quidam enim [nec] ludentes, nec ludum ſcientes, ſed numeratione [9] tantum proprias ſubſtantias perdiderunt, die noctuque ludendo, argento, apparatu lapidum, & auro. Conſequenter autem ex hac inordinatione blaſphemare [10] [Deum] conantur, & inſtrumenta conficiunt. Commodis igitur ſubjectorum proſpicientes, hac generali lege decernimus, Ut nulli [11] liceat in publicis, vel privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie, & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum [12] reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, a Patre aut Defenſoribus illius civitatis: vel recipiat fiſcus, non obſtante niſi quinquaginta [13] annorum præſcriptione: Epiſcopis vero locorum hoc providentibus, & Præſidum auxilio utentibus.

† Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contacem ſine fibula [14], & perichyten [15], & hippicem [16], quibus ſine dolo atque callidis machinationibus ludere permittimus. † Sed nec permittimus etiam in his ludere ultra unum ſolidum [17], ſi multum dives ſit: ut ſi quem vinci contigerit, caſum gravem non ſuſtineat. Non enim ſolum bella bene ordinamus, ſed [18] & res [ſacras] ludicras [19]. Sed iſtam interminantes pœnam tranſgreſſoribus, poteſtatem dando epiſcopis [20] hoc inquirendi, & Præſidum auxilio ſedandi. † Prohibemus etiam, ne ſint equi [ſeu equeſtres] lignei [21], & ut ſi quis ex hac occaſione vincatur, hoc ipſe recuperet domibus eorum publicatis [22], ubi hæc reperiuntur. † Si autem noluerit recipere is, qui dedit, procurator noſter hoc inquirat, & in opus [23] publicum convertat. Similiter & Judices prohibeant, ut a blaſphemiis, & [24] perjuriis, quæ ipſorum inhibitionibus debent comprimi, omnes homines penitus conquieſcant.

TIT. XLIV.

DE [25] RELIGIOSIS [26] ET SUMPTIBUS FUNERUM [27].

De Translatione *reliquiarum.*

1. Imp. ANTONINUS A. Doritæ.

SI vi [28] fluminis reliquiæ filii tui continguntur, vel alia juſta & neceſſaria cauſa intervenit: exiſtimatione Rectoris provinciæ transferre [29] eas in alium locum poteris [30]. PP. 8. Kal. Novemb. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De illatione in locum alienum. De alienatione, & obligatione.

2. Idem A. Hilariano.

INvito, vel ignorante te ab alio illatum corpus in puram [31] poſſeſſionem tuam, vel lapidem, locum religioſum facere non poteſt. Sin [32] autem voluntate tua mortuum aliquis in locum tuum intulerit, religioſus iſte efficitur: Quo facto, monumentum neque venire [33], neque obligari a quoquam prohibente juris religione poſſe, in dubium non venit. PP. Kal. Maji, AQUILINO II. & ANULINO CONSS. 217.

De legato, & ſumptu funeris.

3. Imp. ALEXAND. A. Rimo.

LEgatum a defuncto tibi relictum, & [34] quod in funus vel morbum ejus erogaſſe te boni viri arbitratu probaveris, Præſes provinciæ ſolvi tibi jubebit. PP. 5. Non. Jul. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De dominio, vindicatione, diviſione.

4. Idem A. Luciano.

SI ſepulchrum *monumenti* [35] appellatione ſignificas, ſcire debes, jure dominii id nullum vindicare poſſe: ſed ſi familiare [36] fuit, jus ejus ad omnes heredes pertinere, nec diviſione ad unum heredem redigi potuiſſe. Profana tamen loca, quæ circa [37] id ſunt, ſi ſemper vicinis ædificiis uſui hominum deſtinatis ceſſerint, ejus ſunt cui illa, quorum partes eſſe viſæ ſunt, ex diviſione obtigerunt. PP. 6. Non. Novemb. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De voluntate defuncti ſervanda.

5. Idem A. Caſſio militi.

MIlitis voluntatem quam *circa monumentum ſibi faciendum* teſtamento expreſſit, & pater & mater ejus heredes negligere non debent. Nam etſi delatio hoc nomine præteritis [38] conſtitutionibus amota eſt: invidiam tamen & conſcientiam circa omiſſum ſupremum ejuſmodi officium, & contemptum judicium defuncti, evitare non poſſunt. PP. 8. Kal. Maji, JULIANO & CRISPINO CONSS. 225.

De inſcriptionibus monumentorum. De longi temporis præſcriptione.

6. Idem A. Primitivo & aliis.

MOnumentorum inſcriptiones [39] neque ſepulchrorum jura [40], neque dominium loci puri ad libertos transferent [41]. Præſcriptio [42] autem longi temporis, ſi juſtam cauſam initio habuit, vobis proficiet. PP. 8. Kal. Jul. JULIANO & CRISPINO CONSS. 225.

De ſtatuis & ornamentis.

7. Imp. GORDIANUS A. Claudio.

S*Tatuas* ſepulchro ſuperimponere, vel monumento quod [a te] extructum profiteris, *ornamenta* quæ putas, ſuperaddere non prohiberis: cum jure ſuo eorum, quæ [43] minus prohibita ſunt, unicuique facultas libera non denegetur. PP. 3. Kal. Aug. GORDIANO A. II. & POMPEIANO CONSS. 242.

De jure familiarium ſepulchrorum.

8. Imp. PHILIPPUS A. Juliæ.

JUs familiarium [44] ſepulchrorum ad affines, ſeu proximos cognatos non heredes inſtitutos minime pertinet. PP. 16. Kal. Jul. PEREGRINO & ÆMILIANO CONSS. 245.

equeſtris, quæ πρύλις & ἱππασία Dioni, idque ex Suetonii libro de luſibus puerorum Servius & Donatus ſcribunt *in* 5. *Æneid.* Sed tranſit etiam uſus Pyrrhicæ in pedeſtris pugnæ ſimulachrum, adhibitis numeris & concentu muſico. Marius Plotius libro de Metris, Pyrrhichius pes a Pyrrhica luſus genere nomen accepit, quia hoc ſono milites uſi ſub armis per ludum ciunt ſimulachra pugnæ; ipſa tamen Pyrrhica dicta eſt a Pyrrho Cydoneo, qui primus Cretenſes ſub armis ſaltare ad hujus pedis ſonum inſtituit. Alii a Pyrrho Achillis filio, quem primum in tumulo patris ſui armatum honoris gratia ſaltaviſſe dicunt: Ariſtoteles autem ait Achillem hujus luſus inventorem fuiſſe. Quibusdam placet, ab ardore, id eſt, a velocitate ſui ſoni nomen accepiſſe hunc pedem: cognatus enim ſenſus ardoris, & velocitatis eſt; unde inſtant ardentes Tyrii, id eſt, feſtinantes. Et, ardet abire fuga. Hæc Plotius nondum excuſus apud Cujac. 13. *obſ.* 10. cui in eo quod ſcribit de Pyrrho Cydoneo, conſentit Nicolaus apud Stobæum.

1 Cadit enim iſte luſus magis in aleæ quam virtutis ſpeciem, *de quo* vid. J. *h. t. ibi* Balſamon *notat.* Eſt autem alea vitioſa: hinc Seneca, vel Publius mimus, Aleator quanto in arte eſt melior, tanto eſt nequior. 2 Τὰ παίγνια. 3 Solutum ludi vetiti occaſione condicitur. *l. ult.* J. *h. t.* 4 Multæ interdum ſolent applicari publicis operibus *l. ult.* J. *h. t.* 5 *l. ult.* §. 1. S. *de epiſc. aud.* 6 Facit *l.* 16. §. 8. *ff. de pœn.* 7 Conſule Alciatum *l.* 1. *prætermiſſorum.* Cujac. *l.* 11. *obſerv. c.* 20. Menochium *de arbitr. jud. caſ.* 399. & 400. Rainald. Corſum *l.* 3. *indag. c.* 11. Conſtantium Landum *enarrat. in tit. de juſtit. & jure c.* 6. Jul. Clar. §. *ludus.* Benedict. Capram *in regul. concluſ.* 86. Pium *in Annotat. poſterioib. c.* 12. Turnebum denique *adverſar. l.* 27. *c.* 33. Mod. 8 Alea militibus olim permiſſa in caſtris, ne torperent otio, *ut hic* Acron *ad Horat.* 2. *Carminum* 16. *Periculoſæ plenum opus aleæ tractas.* Non impune tamen milites etiam in ludo arma amittunt. *arg. l.* 3. §. 13. *ff. de re milit.* vid. Forcatul. 20. *Cupid. num.* 7. Erat & permiſſa Decembre menſe & Saturnalibus. 14. *Mart. & ibi interpretes.* 9 Juven. *Sat.* 1. neque enim loculis comitantibus itur, Ad caſum tabulæ, poſita ſed luditur arca. 10 *l. ult.* §. 1. S. *de epiſc. aud.* 11 Etiam clerico, *Nov. Leon.* 87. vid. *l.* 34. §. 1. S. *de epiſc. aud.* 12 *l.* 1. & 2. S *h. t.* 13 Alea [illegible] repetitio eſt intra annos quinquaginta: ut ex Anatolio refert Euſtathius libro περὶ χρονικῶν διαστημάτων, neque tollitur triceunio. Epitome quæ extat 13. *Nomocan.* 29. licet Thalelæus triennio tolli putet, quod in contextu Baſilicῶn non eſt adjectum. Euſtathius *d. loco.* Hoc tamen non ſervatur in Gallia, teſte Rebuff. *in procem. conſt. gl.* 5. *n.* 56. 14 [illegible]lo χωρὶς τῆς πόρπης. *l.* 1. S. *h. t.* 15 Colluctationem. *d. l.* 1. S. *h. t.* 16 [illegible] eſt, Trojam, Pyrrhicam. *d. leg.* 1. S. *h. t.* 17 Id eſt, aureum. 18 Ludicras res ordinare vel ipſi Principes non dedignantur. vide Caſſiodor. 3. *Variar.* 51. *in fin.* 7. *Variar.* 11. 19 Res etiam ludicræ a Magiſtratu curantur. 20 Facit *l. ult.* S. *de epiſc. aud.* 21 Quid ſint, vid. *l.* 2. S. *h. t.* 22 Alias pœnas vid. *in l.* 1. *ff. h. t.* 23 *l.* 2. S. *h. t.* 24 *Novell.* 77. *c.* 1.

25 Adde *tit. Cod. Theod. de ſepulchris violat. l.* 9. *tit.* 17. 26 *L.* 11. *ff.* 7. περὶ μνημείων, id eſt, de monumentis, 59. *Eclog.* 3. 27 Καὶ δαπάνης τάφης. *Eclog. ibid.* adde 3. *Decret.* 28. *de ſepulturis &* 3. *Sext.* 12. & 3. *Clement.* 7. & 3. *Extrav.* 6. & 13. *q.* 2. *c. ubicunque* 6. & *ſeq.* adde Paul. 1. *ſent.* 21. *de ſepulchris & lugendis.* De actione funeraria vid. Oldendorp. *claſſ.* 5. *act. ult.* 28 Ob incurſum fluminis, vel metum, corpus jam perpetuæ ſepulturæ traditum, ſolennibus redditis ſacrificiis, per noctem in alium locum transferri poteſt. vid. Paul. 1. *ſent.* 21. §. 1. 29 Transferebantur autem corpora per noctem. Paul. *d. loco.* efferebantur interdiu: quo referenda eſt Juliani conſtitutio *l.* 5. *Cod. Th. de ſepulchro violato.* Efferri, inquit, cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam inſiſtentium denſitatem: quod quidem oculos hominum infauſtis inceſtat aſpectibus. Qui enim dies bene auſpicatus a funere, aut quomodo ad deos & templa venietur? Ideoque quoniam & dolor in exequiis ſecretum amat, & diem functis nihil intereſt utrum per noctes an per dies efferantur, liberari convenit populi totius aſpectus, ut dolor eſſe in funeribus, non pompa exequiarum, nec oſtentatio videatur. Hæc Julianus *d. loc.* gentili more: quæ miror a Theod. in Codicem relata fuiſſe. 30 In hujuſmodi tranſlatione reddenda erant ſolennia ſacrificia. 1. Paul. *ſent.* 21. §. 1. Gentiles enim pro mortuis ſacrificabant. Anniverſaria quoque eam in rem ſacrificia erant, quæ χόαι a Græcis dicebantur. vide Plut. *in Antonio.* 31 Pura poſſeſſio, purus locus, qui neque ſacer, neque religioſus, ſed profanus. *l.* 4. J. *h. t. l.* 2. §. 4. *ff. h. t.* 32 *l.* 2. *ff. h. t.* §. 9. *Inſt. de rer. diviſ. l.* 6. §. 4. *ff. de diviſ. rer.* 33 Monumentum vendi aut obligari non poteſt. *l.* 9. J. *h. t.* neque legari. *l.* 14. J. *de legatis.* An idem in re ſacra? v. Ripenſem *ad l.* 6. 7. 8. 9. *ff. de pign. & hypoth. n.* 47. & *ſeq.* 34 Legatario legatum licet petere, & expenſas quas in perſonam fecit defuncti. *l.* 1. *l.* 2. §. 2. *ff. h. t.* 35 *l.* 2. §. 6. *ff. h. t.* & 59. *Ecl.* 1. *c.* 2. 36 Vid. *l.* 5. *ff. h. t.* 37 *l.* 9. J. *h. t. l.* 2. §. 5. *ff. h. t.* 38 *l.* 5. J. *de his, quibus ut indign.* vid. Paul. 3. *ſent.* 5. §. 10. *ubi* vid. Cujac. & *Novell.* 1. *in pr.* 39 *l.* 6. *ff. h. t.* adde *l.* 10. *ff. de probat.* Publice inciſa in æs, vel in marmor, vel in lapides, non probare, finem non facere, ex hujuſmodi ſculptionibus jus nulli competere hinc nonnulli colligunt: quod falſum puto. Agitur enim hic ſpecialiter de monumentorum inſcriptionibus: alias hujuſmodi inſcriptiones probationem inducunt. *l.* 10. *D de prob. l.* 27. *D. de cond. & dem. l.* 11. *in fin. D. fin. regund.* Antiquis in factis ſcripturam privatam fidem facere hinc colligunt. Mynſing. 5. *obſ.* 79. & ſcripturam privatam repertam, & productam ex archivo publico fidem facere. *Authent. ad hæc.* J. *de fid. inſtrum.* adde hic Socin. *reg.* 118. 40 Decius *conſ.* 146. *col.* 6. *num.* 14. Scribentes *ad c. cum cauſam. extr. de probat.* Forcatulus *in Necyomant. jur. dialog.* 1. *n.* 34. Cravettam *de antiquit. tempor. fol.* 72. *n.* 12. Mod. 41 Inſcriptio monumenti a defuncto facta, jus aut dominium ſepulchri eo vivo, qui inſcripſit vel inſcribi juſſit, non transfert, *ut hic*, ſed eo præmoriente: ut ita vim habeat ultimæ voluntatis: & ita hunc locum accipit Forcatulus 1. *Dialogo Necyomantiæ*, *num.* 34. 42 *l.* 4. *D. de mortuo inferend.* In ſepulchris longa poſſeſſio non prodeſt ei qui nullum jus habet. *Syn. Baſil.* 59. *tit.* 2. *c.* 4. 43 Prohibita quæ non ſunt, conceſſa intelliguntur. *Inſt. de his, qui ſunt ſui.* adde *l.* 4. J. *de jure dotium*, *l.* 27. J. *de teſtam. l.* 25. *in fin. D. ad municip.* 44 *l.* 5. *l.* 6. *verſ. liberis. D. h. t.*

De venditione.

9. Idem A. & Philippus C. Fauſtinæ.

LOcum quidem religioſum diſtrahi [1] non poſſe manifeſtum eſt: verum agrum purum [2] monumento cohærentem [3] profani juris eſſe: ideoque efficaciter venundari, non eſt opinionis incertæ. PP. 6. Kal. Decemb. PHILIPPO A. & TITIANO CONSS. 246.

De translatione corporis.

10. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Aquilianæ.

SI necdum perpetuæ [4] ſepulturæ corpus traditum eſt: tranſlationem [5] ejus facere non [6] prohiberis. PP. 8. Id. Feb. DIOCLETIANO IV. & MAXIMIANO III. AA. CONSS. 290.

De ſupplicio affectis.

11. Iidem AA. & CC. Gaudentio.

OBnoxios [7] criminum digno ſupplicio ſubjectos ſepulturæ tradi non vetamus. PP. 8. Id. April. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Ne reliquiæ intra civitatem condantur.

12. Iidem AA. & CC. Victorino.

MOrtuorum reliquias [8], ne ſanctum [9] municipiorum jus polluatur, intra [10] civitatem condi, jam pridem vetitum eſt. PP. 3. Kal. Octob. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

Collatio ſepulchri familiaris, & hereditarii.

13. Iidem AA. & CC. Dionyſio.

JUs ſepulchri tam familiaris [11], quam hereditarii [12], ad extraneos etiam heredes: familiaris autem ad familiam, etiam ſi nullus ex ea heres ſit, non etiam ad alium quemquam, qui non eſt heres, pertinere poteſt. S. 3. Id. Novemb. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

De translatione reliquiarum.

14. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

NEmo humanum [13] corpus ad alium [14] locum [ſine Auguſti [15] affatibus] transferat. Dat. 3. Kal. Mart. *Conſtantinop.* HONORIO NOBILI PUERO & EVODIO CONSS. 386.

In ſolo Auredani libro manuſ. notatur hic deeſſe Græcam conſtitutionem, quam ex Baſilicis edidit Cujac. lib. 11. obſerv. cap. 21.

15. [16].

IN nullo quopiam loco vectigal [17] ab aliqua perſona pro corporibus ex uno in alium locum translatis præſtetur.

1 *l. 2. in fin.* ℑ. *h. t.* 2 Purus ager quid ſit, vid. *l. 2. §. 4. ff. h. t.* adde Cujac. 10. *obſ.* 37. 3 *l. 4. in fin.* ℑ. *h. t.* 4 Seu æternæ ſedi. *l. 40. ff. h. t.* 5 *d. l. 40. l. 1. l. 2. ff. de cadaver. pun.* 6 Excipe caſum legis 1. *ſupr. h. t.* ex loco Pauli a me citato. 7 *l. 1. l. 3. ff. de cadaver. punit.* niſi damnatos majeſtatis. *d. l. 1.* Jure Gallico hæc lex ſervatur, teſte Rebuff. *in proœm. conſt. gloſſ. num.* 54. 55.
8 Reliquiæ mortuorum *hic* corpus. Paul. 1. *ſent.* 21. §. 2. Græci λείψανα, *l. 3. ſupr. de ſacr.* oſſa, *l. 8. ff. h. t.* cineres, *d. l. 1. in fin.* Reliquæ etiam dicuntur. *l. 42. l. 44. in fin. ff. hoc tit.* ut & reliquiæ. *l. 30. ff. famil. erciſc. l. 27. ff. de cond. inſt.* Animalia bruta habent etiam ſua λείψανα, *l. 53. §. 5. ff. de leg. 1.* Neutra ſignificatione. Reliquiæ ſunt ſimu- [illegible]
& corpora partim Multa virum terræ infodiunt, avectaque partim Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt. Cic. *de legib.* hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito. Idem vetuit Antoninus Pius, *teſte Spartiano.* Idem ſervatum apud Athenienſes, ut refert Sulpitius *apud* Cic. 4. *epiſt. de M. Marcello loquens.* Eadem pene de cauſa Plato 12. *de legib.* vetuit ſepulchra in loco fœcundo & ad culturam apto poni. Nobis Chriſtianis non in urbibus modo, ſed & in templis jus etiam ſepulturæ eſt. 10 Paul. *d. loco.* 11 *l. 5. ff. h. t.* 12 *l. 5. 6. ff. h. t.* 13 Humatum. *l. 7. C. Theod. de ſepulchr. violat.* 14 *l. 10. ſupr. h. t.* 15 Vel pontificum. *l. 8. ff. h. t.* hæc autem incluſa deſunt in *l. ult. C. Theod. de ſepulchris violatis*: ex qua hæc lex ſumpta eſt. 16 Latina interpretatio. 17 [illegible]

D. JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS, PP. A.

CODICIS

REPETITÆ PRÆLECTIONIS,

LIBER QUARTUS.

TIT. I.

DE REBUS CREDITIS [1], ET JUREJURANDO [2].

An cauſa retractari poſſit perjurii prætextu.

1. Imp. ANTONINUS A. Herculiano.

CAuſa [3] jurejurando ex conſenſu [4] utriuſque partis, vel adverſario inferente, delato & præſtito, vel remiſſo [5] deciſa: nec perjurii [6] prætextu retractari poteſt: niſi [7] ſpecialiter [8] hoc lege excipiatur [9]. PP. 15. Kal. Jul. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 213.

Perjurio *pœna quando imponatur.*

2. Imp. ALEXANDER [10] A. Felici.

JUriſjurandi [11] contempta religio ſatis [12] Deum ultorem habet [13]. Periculum autem corporis [14], vel majeſtatis crimen ſecundum conſtituta [15] Divorum Parentum [16] meorum, etſi, per [17] Principis generationem [18] quodam calore [19] fuerit pejeratum, inferri non placet. PP. 6. Kal. April. MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

De inopia probationum.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Severæ.

IN bonæ [20] fidei contractibus, nec non [etiam] in cæteris cauſis, inopia [21] probationum, per [22] judicem jurejurando cauſa cognita res decidi oportet. PP. 10. Kal. Sept. MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

De Tutelæ actione.

4. Iidem AA. & CC. Maximæ.

SI ad excludendam tutelæ actionem pupillus [23] jusjurandum tutori detulerit, poſtea eandem litem exercere non prohibetur. PP. Kal. Jul. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

1 Hæc tituli particula generalis eſt ad ſequentes aliquot, nec tamen hic tractat de rebus creditis, ſed de jurejurando, niſi dixeris, jusjurandum crediti ſpeciem eſſe. *arg. l. 2. in fin. ff. de rebus creditis.* & ita conceptus eſt *Tit.* 1. *lib.* 2. *apud* Paul. *ſentent.*
2 Jurejurando lites deciduntur, tam in actionibus in rem quam perſonam. Paul. *dict. loco.* §. 4. *Inſtit. de except. L.* 12. *D.* 2. & 22. *Eclog.* 5. & 1. Harmenop. 7. & 2. *Decret.* 24. & 2. *Sext.* 11. & 2. *Clement.* 9. & 22. *quæſt.* 1. Ferrar. *in forma juramenti quod præſtatur a parte parti* 16. Oldendorp. *claſſ.* 1. *act.* 9. Jusjurandum quid eſt? fidei atque religionis exhibitio. *l. ult.* ℑ. *de fideicomm. libert.* Deum teſtem & vindicem perjurii vocare. Juramentum an ſemper ſervandum ſit, vid. apud Socin. *reg.* 206. *l. ult.* ℑ. *de non numerata pecunia.* de obſervata cuſtoditaque apud Romanos jurisjurandi ſanctimonia vid. Gell. 7. *c.* 18. 3 *Synopſ. Baſil.* 22. *tit.* 5. *c.* 40. 4 22. *Eclog.* 5. *c.* 40.
5 Remiſſum jusjurandum pro præſtito habetur. Paul. 2. *ſent.* 1. §. 3. 6 *l. 21. ff. de dolo mal.* 1. Harm. 7. 7 Quid ſi ſtatuto caveatur juramento alicujus ſtari? valere juramentum quidam putant: ſed tamen probationes in contrarium admitti: verum ea de re videndus eſt Socinus *reg.* 380. 8 Puta favore ultimæ voluntatis. *l. ult.* ℑ. *h. t.* Idem dicendum, ſi juratum fuit ſolo judice deferente, adverſario non petente. *l. 31. ff. h. t.* adde quæ ſcripſi *ad l.* 17. ℑ. *de contrah. empt.* 9 *Sub.* ut retractetur. Igitur juramenti gratiam lex facere poteſt. adde *l. ult. ff. qui ſatisd. l.* 38. *in pr. ff. ad municip.*
10 Similis Alexandri ejusdem *lex* ℑ. *famil. erciſc.* & *l.* 2. ℑ. *ad leg. Jul. de adult.*
11 Per Deum ſcil. concepti, non per ſalutem Principis, ut dicam ℑ. Goth. Vid. Cujac. *lib.* 2. *obſerv.* 19. Duaren. *ad tit. de rebus credit. cap. fin.* & *ad tit. de jurejurand. cap. fin.* Fachin. *lib.* 1. *controv. cap.* 14. Anſ. Adde Joann. Robert. *lib.* 2. *Supputat. cap.* 20. Menoch. *de arbitr. judic. lib.* 2. *cap.* 319. S. L. 12 1. Harmen. 7. Imo non ſatis. *l. ult. ff. ſtellionatus.* ſolve: ibi ſtellionatui pœna imponitur, non perjurio. Vid. Cujac. 2. *obſ.* 19. 13 Harm. *ibi.* Hinc Tiberius apud Tacit. *lib.* 1. *Annalium*: Deorum injurias diis curæ eſſe. 14 Satis diſertim legem hanc explicat Gothofredus: præter quem vide Menoch. *de arbitr. jud. lib.* 2. *cent.* 4. *caſ.* 319. *n.* 13. 21. 23. & 28. Torell. de Prat. *conſ.* 41. *n.* 2. *inter conſil. crim. vol.* 1. Joan. Robert. *lib.* 2. *ſent. jur. cap.* 20. Mod.
15 *l. 13. §. ult. ff. de jurejur.* 16 Severi & Caracallæ. 17 Κατὰ βασιλέως, Harmen. *ibid.* per genium Principis. *l. 13. in fin. ff. de jurejur.* Jurabant per Genium Principis Gentiles. *l. ſi duo.* 13. *in fin. ff. de jurejur.* Tertull. *ad Scapulam* & 28. *Apologet.* aut quod tantundem τύχην τοῦ καίσαρος. Dion. 44. Arrian. Epictet. *lib.* 4. *cap.* 1. Joſeph. 16. *antiq.* 16. Chriſtiani per ſalutem Principum, at non per genium. 3. Euſeb. *hiſt.* 14. quod ſalus auguſtior ſit genio. Tertull. *Apologet. cap.* 32. adde *l. ſi quis major.* 41. ℑ. *de transact.* ſane qui pejeraſſet, jurans per genium Principis, Tiberio crimen non fuit. *Dion.* 57. Contra crimini Cajo fuit, non juraſſe per genium Principis. Sueton. *in ejus vita*, *cap.* 27. qui & autor fuit, ut omnibus juramentis hoc adderetur: Neque me liberosque meos cariores habeo, quam Cajum & ſorores ejus. Sueton. *in Cajo*, *cap.* 13. Dion. 18.
18 Salutem: ſcriptum fuiſſe videtur *Genium*, idque mutavit Tribon. 19 Calori ignovit, & alio adhuc reſcripto idem Alex. *l. 4.* ℑ. *ad leg. Jul. de adult.* Calor, eſt inconſultus animi motus. *l. 9. in princ. ff. de publican. & vect. l. 22. in fin. ff. ad l. Jul. de adult. l. 7. in fin. ff. ad l. Jul. repetund. l. 1. §. 5. ff. ad SC. Turpillian.* ut ſit ſenſus: Si per Deum juratum eſt, Deus ipſe vindex eſt: ſi per Principem, Princeps ipſe. Quid ſi conſulto conſilio per Principem ſit juratum? qui pejeravit, tenetur majeſtatis: Majeſtatis, inquam, non abſciſſe, ſed quodammodo tantum: ideoque pœna reorum majeſtatis ei non infligitur, ſed fuſtigatio. *d. l.* 13. Et hinc tamen conſtat, gravius eum puniri, qui per Cæſaris genium juravit, quam qui per Deum. Tertullian. *cap.* 18. *Apologet. in fin.* Citius (inquit) apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæſaris pejeratur. Minucius Felix, *in Octavio*: Tutius eis eſt per Jovis *Genium* pejerare, quam Regis. Illud interim notandum, Eum, qui per Deum juraverit, & pejeraverit, fieri infamem; dixi ad *Leges* 12. *Tabular.* & aliis pœnis civilibus ſubjici. *l.* 41. ℑ. *de transact. l. 2. in fin.* ℑ. *de indict. viduit. lib.* 1. *ll. veterum Francicarum*, *cap.* 61. perjurus neque in ſua, neque in alterius cauſa jurare poteſt. Qua lege & illud cavetur præterea, eos, qui rationabilis ætatis non ſunt (rationabilem appellat eam in quam rationis, ſeu ratiocinandi uſus aliquis cadit) non cogendos eſſe jurare. Item, ut qui in ſanctis (opinor ſcripturis vel Templis) juraturi ſint, jurent jejuni. Idem eſſe jurare per charitatem & veritatem ac per Deum: cum Deus ſit charitas & veritas. Juramentum Phariſaicum eſſe, jurare per aurum & altare templi. Huc refer Gell. 7. *Noct.* 18. ubi tractat de obſervata cuſtoditaque apud Romanos jurisjurandi ſanctimonia. adde Cujac. 8. *obſerv.* 7. Forcatul. 18. *Cupid. num.* 2. 3. Clarum *ſentent.* 5. §. *perjurium.* ubi refert perjurum removeri ab agendo, teſtimonio dicendo, jurando. Excuſari a pœna civili, ſi ſine dolo pejeravit. *l. ult. ff. de in litem jur.* ſi propter impedimenta juſta juramento ſatisfacere non potuit, ſi perjurium nulli noceat: ſi interrogatus ſuper crimine, pejeravit, ſi delatum ab adverſario in judicio fuerit. 20 Vid. *l. 5. ff. de in litem jurand.* 21 22. *Synopſ. Baſil.* 2. *cap.* 42. vid. 1. Harm. 1. *cap.* ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις. 22. *Eclog.* 5. *cap.* 28. 22 *l. 31. ff. de jurejur.* Tale juramentum neceſſarium eſt. In Gallia quæ conſuetudinibus ſeu ſtatutis quibusdam propriis utitur, judices inopia probationum, & ubi ſemiplene tantum probatum eſt, juramentum actori non deferunt, niſi a rege juſſi ſint. Rebuff. *in princ. conſt. gloſſ.* 5. *num.* 58. Semiplena probatio eſt, ſi unicus tantum teſtis producitur, nempe quia duo plenam faciunt, ſi reus fugit, ſi ſcriptura tantum domeſtica profertur. vid. Accurſ. *hic.* Putarem, ne id quidem jure fieri, niſi cauſa bene cognita. *ut hic.* ℑ. *h. t.* De juramento ſuppletorio, vid. Socinum *reg.* 104. Dicam plenius in praxi civili *titul. de jurejurando.* 23 Sine tutore. *l. 17. §. 1. ff. de jurejur.* 22. *Eclog.* 5. *c.* 29. Pupillo non defertur juramentum. Idem etiam non defert, nec gratiam jurisjurandi facit. *d.* §. 1 *Eclog. ibid.* Harmen. 7. περὶ ὅρκων.

De Fideicommiſſo.

5. Iidem AA. & CC. Juliano.

CUm etiam a [1] pupillorum tutoribus, velut ab ipſis pupillis relicta fideicommiſſa videantur [2], ſuper fideicommiſſis Præſes [3] provinciæ cognoſcet: &, ſi id tibi relictum eſſe conſtiterit, reddi tibi efficiet. Idem, ſi inficietur, ad jusjurandum (ut deſideras) tutorem adiget [4]. PP. 4. Kal. Decemb. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De generis & ingenuitatis quæſtione.

6. Iidem AA. & CC. Beſſio.

CUm proponas partibus placuiſſe, jurisjurandi religione, generis [5] & ingenuitatis quæſtionem decidi: Præſes provinciæ juxta decretum arbitri [6] ad voluntatis veſtræ placitum amitæ tuæ filiis conſulet. PP. 5. Id. Februar. TIBERIANO & DIONE CONSS. 291.

Ne alteri per alterum præjudicetur.

7. Iidem AA. & CC. Eutychianæ.

NEc filius [7], nec quiſquam alius [8], nec litigando, nec paciſcendo, ſed neque jusjurandum citra voluntatem dominæ rei deferendo, præjudicium ei facere poteſt. Unde ſi citra mandatum tuum aliquid erga rem tuam filius tuus geſſit, nec hoc ratum habuiſti, nihil tibi oberit. S. Idib. Novemb. AA. CONSS. 293.

De actione & jurejurando actoris.

8. Iidem AA. & CC. Alexandro.

ACtori [9] delato, vel relato jurejurando, ſi juraverit, vel ei remiſſum ſit ſacramentum, ad ſimilitudinem [10] judicati in [11] factum actio competit. S. 12. Kal. Maji, CC. CONSS. 294.

De conditione jurisjurandi reo delata.

9. Iidem AA. & CC. Martiano.

DElata [12] conditione jurisjurandi, reus (ſi [13] non per actorem, quominus de calumnia juret, ſteterit) per judicem ſolvere [14], vel jurare, niſi [15] referat jusjurandum, neceſſe habet. S. 5. Kal. Maji, *Sirmii*, AA. CONSS. 299.

De depoſito.

10. Iidem AA. & CC. Protogeni.

IN actione etiam depoſiti [16], quæ ſuper rebus quaſi ſine ſcriptis datis movetur, jusjurandum ad exemplum cæterorum bonæ [17] fidei judiciorum deferri poteſt. S. 5. Kal. Decemb. CC. CONSS. 300.

De revocatione jurisjurandi.

11. Imp. JUSTINIANUS A. Demoſth. P. P.

SI quis jusjurandum intulerit, &, necdum eo præſtito, poſtea (utpote ſibi allegationibus abundantibus) hoc revocaverit: ſancimus [18] nemini licere penitus iterum ad ſacramentum recurrere, (ſatis enim abſurdum eſt redire [19] ad hoc, cui renunciandum putavit, & cum [20] deſperavit aliam probationem, tunc denuo ad religionem convolare) & judices nullo modo [eos] audire ad tales iniquitates venientes. † Si quis autem ſacramentum intulerit, & [hoc] revocare maluerit, licere quidem [ei] hoc facere, & alias probationes, ſi voluerit, præſtare: ita [21] tamen, ut hujusmodi licentia usque [22] ad litis tantummodo terminum ei præſtetur. Poſt definitivam autem ſententiam, quæ provocatione ſuſpenſa non ſit, vel quæ, poſtquam fuit appellatum, corroborata fuerit: nullo modo revocare juramentum, & iterum ad probationem venire cuiquam concedimus: ne repetita lite, finis [23] negotii alterius cauſæ fiat exordium. Dat. 15. Kal. Octob. *Chalcedone*, DECIO V. C. CONS. 529.

Jusjurandum ad deciſionem litis quando præſtandum. 1. *De jurejurando præſtando, vel referendo.* 2. *De procuratione; ſi quis jurare noluerit.* 4. *De abſentibus.* 5. *De loco & forma jurandi.* 6. *De priorum legum confirmatione.*

12. Idem A. Demoſtheni P. P.

GEneraliter de omnibus juramentis, quæ in litibus offeruntur vel [24] a judice vel a partibus, definiendum eſt. Cum enim jam increbuit judices in pleniſſima definitione ſacramentum imponere: evenit, ut provocatione lite ſuſpenſa [25], hi quidem, qui jusjurandum præſtare juſſi ſunt, ab hac forte luce ſubtrahantur, probationes autem rerum cadant [26]: cum [27] multum [28] diſcrepet juramentum hereditarium [29] a principali [30] ſacramento. Neceſſitate itaque rerum coacti, & probationibus pinguius ſubvenientes, ad hujusmodi venimus ſanctionem. Omne igitur juramentum, ſive a judicibus, ſive a partibus illatum, vel in principio litis, vel in medio, vel in ipſa definitiva ſententia, ſub ipſo judice [31] detur, non expectata vel ultima definitione, vel provocationis formidine. §. 1. Sed juramento illato, cum hoc a partibus factum fuerit, & a judice approbatum [32], vel ex auctoritate judicis cuicunque parti illatum: ſi quidem is cui imponitur ſacramentum, nihil ad hoc fuerit reluctatus, hoc præſtetur, vel referatur: neceſſitate ei imponenda, cui jure refertur, relationis ſacramentum ſubire: vel ſi hoc recuſaverit, quaſi illato ſacramento præſtito, cauſa [33] vel capitulum [34] decidatur, nullo loco provocationi relinquendo. Quis enim ferendus eſt ad appellationis veniens auxilium in his quæ ipſe facienda procuravit? §. 2. Sin autem is, cui ſacramentum eſt illatum, vel a parte, vel a judice, hoc ſubire minime voluerit, licentiam quidem habeat ſacramentum recuſare: judex autem, ſi hoc omnimodo præſtandum exiſtimaverit [35], ſic cauſam dirimat, quaſi volente eo ſacramentum ſit recuſatum: & ita cætera ſive capitula, ſive totius negotii ſumma examinentur, & lis ſuo marte percurrat, nullo ei obſtaculo obviante. Ipſe autem qui ſacramentum ſibi illatum dare recuſaverit: vel hoc atteſtetur, vel, ſi forte non audeat, habeat [36] ſibi in ultima [37] provocatione repoſitum auxilium, & ſi judex appellationi præſidens, *bene quidem illatum jusjurandum, non rite autem recuſatum* pronunciaverit: res ſecundum quod judicatum eſt, permanebit. Sin autem *non rite quidem illatum, recte autem recuſatum ſacramentum* pronunciaverit: tunc ei licebit emendare [38] ſententiam judicis, quæ quaſi ex recuſato ſacramento proceſſit, & nihil penitus nec præjudicii, nec injuſti diſpendii [39] cuicunque incurret: ſed & cauſæ curſus ab initio usque ad noviſſimum terminum non impedietur, & lis æqua lance trutinabitur. §. 3. Sive autem illatum juramentum præſtitum fuerit, ſive recuſatum, ipſi parti, quæ hoc intulit, nullum [40] provocationis remedium in hoc reſervabitur: cum nimis crudele eſt, parti quæ hoc detulit, propter hoc ipſum, quod judex ejus petitionem ſecutus eſt, ſupereſſe provocationem. §. 4. His de præſentibus [41] perſonis ſtatutis, nec abſentes nos fugiunt, ſed etiam eos huic legi ſubjugamus: & ſi perſona præſens non inveniatur, cui ſacramentum illatum eſt, lite forte per procuratorem ventilata, neceſſe eſt, vel ipſam principalem perſonam datis certis induciis [42] ad judicem venire, ut ea quæ de ſacramentis ſtatuta ſunt, impleat; vel (ſi judex exiſtimaverit) in provincia [43] ubi degit, ſub actorum teſtificatione juramentum ab ea vel dari, vel referri, vel recuſari, hoc procedere: ut ſingulis caſibus eventus jam definitus imponatur: licentia danda etiam parti alteri, vel per ſe, vel per procuratorem ſuper hoc ipſum ordinatum, adeſſe his quæ de juramento aguntur: vel ſi neutrum facere maluerit, & ex una parte [44], ſub fide tamen geſtorum, juramentum præſtari, vel referri, vel recuſari: expenſis propter hujusmodi cauſam præſtandis, officio [45] judicis trutinandis, an ab utraque parte, an ab altera oporteat eas dependi: nullo tamen ex hoc litibus impedimento generando: ſed, donec ea procedunt, aliis vel capitulis, vel litis membris a judice examinandis: & poſtquam fuerint ei intimata [46] geſta ſuper juramento ſubſecuta, tunc iterum ad [47] hoc capitulum judice redeunte, & eo adimpleto ad cetera perveniente: omnibus aliis quæ de præſentibus ſancita ſunt, & in abſentium parte obſervandis.
§. 5. In omnibus autem caſibus in quibus ſacramenta præſtantur, obſervationem judicialem permanere cenſemus ſecundum perſonarum qualitatem [48], ſive ſub [49] ipſo judice præſtari oportet juramentum, ſive in domibus [50], ſive ſacris ſcripturis tactis [51], ſive in ſacroſanctis oratoriis [52]. §. 6. Similique modo in ſua firmitate manere, quæ de calumniæ jurejurando, vel relato ſacramento legibus cauta ſunt, vel a nobis, vel a retro divis principibus introducta: non enim, ut aliquid derogetur antiquioribus legibus, hæc prolata ſunt: ſed ut, ſi quid deeſſe eis videatur, hoc repleatur. Recitata ſepties [53] in novo conſiſtorio Palatii Juſtiniani. Dat. 3. Kal. Novemb. DECIO V. C. CONS. 529.

1 Relictum a tutore, relictum videtur a pupillo, de quo ſi dubitatur, tutori defertur juramentum, & ita tutor jurat in cauſa pupillo mota, *l. 20.* ℑ. *de fideicommiſſ. l. 69. §. 2. ff. de leg.* 2. adde Cujac. 3. *obſ.* 27. 2 Cum eadem mox verba repetantur *in l. 20. infr. de fideicommiſſ.* videtur hic ex eadem ſcribendum & reponendum: *Relicta fideicommiſſa debeantur.* Mod. 3 Fideicommiſſa in provinciis apud Præſidem, ut Romæ apud Conſulem, vel prætorem fideicommiſſarium petebantur. Ulpian. 25. §. 12. 4 Imo non adiget *l. 4. ff. de in litem jurand.* Sed ibi de juramento in litem affectionis, hic de veritate agitur. Weſenb. *ad tit. ff. de in litem jur. n.* 4. Anſ. 5 Super cauſa ſtatus poteſt jusjurandum deferri. 6 Id eſt, judicis dati. vid. *l. 2. ſupr. de judic. l. 2. in fin.* ℑ. *de pedaneis jud.* v. *l. 2.* ℑ. *de libertis & eorum.* 7 Vid. *l. 4.* ℑ. *ſi aliena res pign.* Goth. Explicationem hujus legis vid. apud Leoninum *emendat. lib.* 3. *c.* 12. *n.* 2. Anſ. 8 Vid. *l. 3. §. 3. in fin. ff. de jurejur.* 9 Jurejurando delato, reus debet vel jurare, vel ſolvere, vel jusjurandum referre. *Syn. Baſil.* 22. *tit.* 5. *c.* 48. Quid ſi ipſe actor de calumnia prior jurare nolit? reus jurare non cogitur. *l. 9.* ℑ. *h. t.* quippe is, qui jusjurandum defert, prius jurare de calumnia hac formula cogitur, ὅτι οὐχ ὡς συκοφαντῶν σε, βούλομαι λαβεῖν παρά σου τὸν ὅρκον, ἀλλ᾽ ὡς νομίζων δικαίως ἐπάγειν hoc eſt, juro me non calumnioſe jusjurandum exigere, ſed quod jure me putem experiri. *Syn. Baſil.* 22. *tit.* 5. *c.* 48. 1. Harm. 7. §. 6. unde apud Paul. legimus 2. *ſent.* 1. §. 2: Jusjurandum deferre prior actor poteſt, contrarium autem de calumnia jusjurandum reo competit. adde *l. 34. §. qui jusjurandum.* 4. & *l. ſi non fuerit.* 37. *ff. de jurejur.* 10 Quin jusjurandum majus quiddam eſt, quam res judicata. 22. *Ecl.* 5. *c.* 1. 11 Ex juramento naſcitur actio in factum; de qua vid. Oldendorp. *claſſ.* 1. *act.* 9. niſi ſuper aliquo facto nominatim eſt juratum, puta vendito; tunc enim competet utilis venditi. *l. 13. §. 3. ff. de jurejur.* Goth. vid. in hanc leg. Joan. Zanger. *de except. part.* 3. *cap.* 5. *num.* 96. Anſ. 12 Dixi *ad l.* 1. ℑ. *h. t.* ex Paul. 3. *ſent.* 1. §. 2. 13 Qui defert jusjurandum, prius de calumnia jurat. *l. 34. §. 4. l. 37. ff. h. t. l. ult.* ℑ. *de fideicommiſſ. d. §. 2.* vid. *l. 1. ſupr. de jurejurando propt. calum. l. 11. §. 1. & 2. ff. rer. amotar.* Remittitur tamen quibusdam perſonis, puta patrono, non liberto: & in cauſis feudalibus tam vaſallo, quam domino. vid. Cujac. 4. *feud.* 36. *fol.* 548. 2. *feud.* 33. §. 1. 14 *l. 34. §. 6. ff. de jurejur.* 15 Cui defertur juramentum, tenetur jurare, vel referre. 16 Adde *l. 4.* ℑ. *ad exhib.* 17 *l. 3.* ℑ. *h. t.* 18 Jusjurandum inopia probationum tibi detuli: nactus alias probationes, delationem jurisjurandi a te nondum præſtiti, revocavi, quæritur an ſecundo non liceat ad jurisjurandi delationem confugere? non licet. *Synopſ. Baſil.* 22. *tit.* 5. *cap.* 50. 1. Harm. 7. §. 7. 19 Vide *l. 75. ff. de reg. jur.* 20 Iniquum eſt hoc caſu ἀποτυχίᾳ τῶν ἄλλων ἀποδείξεων πάλιν εἰς τὸν ὅρκον ἀποστρέφειν, ob deſperatas alias probationes, ad jurisjurandi religionem denuo confugere. *Synopſ. Baſil. h. t. c.* 50. 21 Jusjurandum delatum, necdum præſtitum, is qui detulit revocare poteſt ἕως ὅτε ἀπόφασις ἐξέλθῃ ἐπιτρέπουσα δοθῆναι τὸν ὅρκον. quousque ſententia lata fuerit, quæ jusjurandum præſtare jubeat. Igitur non poſt ſententiam a qua non appellavit, non denique poſt ſententiam ab appellationis judice confirmatam. *Synopſ. d. l.* 22 Delatum juramentum, antequam ſit juratum vel pronunciatum, revocari poteſt. *Goth.* Vid. Borcholt. *de jurejur. c.* 6. *n.* 2. Vincent. Caroc. *de juram. lit. deciſ. q.* 5. *pr. n.* 39. & *q.* 10. *pr.* 1. *n.* 1. Ita & juriſconſultis licet quandoque ex mutatione circumſtantiarum facti reſponſum mutare. Cujac. *lib.* 2. *obſerv.* 36. & *ad African. tract.* 4. Natt. *conſ.* 194. *num.* 13. *lib.* 1. Anſ. 23 Id eſt, finis primi negotii ſecundæ litis exordium faciat. *Synopſ. ibid.* 24 Juramentum defertur, vel a judice vel a parte. 25 Appellatione ſuſpenditur ſententia. 26 Probationum viæ non ſunt coarctandæ. *l. quoniam.* ℑ. *de hæreticis*: unde colligit Accurſius *in Novell.* 94. *arg. Novellæ de teſtibus*, debitorem pacto vel conventione cogi non poſſe, ad unicam tantum probationis ſpeciem, ut ita poſſit debitor quovis genere probationis, ſive per teſtes, ſive per inſtrumenta, ſive per jusjurandum, debiti ſolutionem probare, neque ſe ad unum tantum genus probationis aſtringere. 27 Juramentum heredis multum differt a defuncti juramento. *l. 11. §. 2. ff. rerum amotar.* 28 2. *Feud.* 58. §. *cum datur.* Coguntur tamen heredes interdum jurare, dummodo veriſimiliter poſſint jurare: videlicet nota eis veritate facti defuncti, quam liberi, tacita quadam præſumptione, noſſe intelliguntur. vide ad hunc locum Rolandum a Valle 1. *conſ.* 52. adde Ancharanum 1. *quæſt.* 55. *num.* 8. Mynſing. 1. *obſerv.* 13. 29 De procuratore vide *l. 2. §. 1. §. 2.* ℑ. *de jurejurand. propt. calumn.* 30 Hoc eſt, defuncti. 31 Poteſt jurari etiam appellatione pendente. *Salic.* 32 Delatio juramenti parti non concludit, niſi per judicem approbata ſit. 33 De qua agitur ſc. unde colligunt: Contumacem in uno capite, non haberi pro confeſſo in alio. 34 Id eſt, articulus ille litis. 35 Contumax non habetur ipſo jure pro confeſſo: cum ejus contumacia judicis arbitrio ſit definienda. 36 Intentio non allegata in cauſa principali, poteſt in cauſa appellationis allegari. *Bald.* 37 In appellatione a definitiva, diſcutiendum gravamen interlocutoriæ. 38 Hinc illa uſitata formula judicandi in curiis, & apud judices ad quos appellatur. *En émendant le jugement &c.* 39 Sententia emendata non parit diſpendium, poteſt tamen arbitrio judicis condemnari in expenſas primi judicii, qui in priore cauſa vicerit. 40 Delator juramenti non appellat. An idem in eo qui refert? Idem, omnis enim juramenti relator, eſt delator. *Accurſ.* 41 Quaſi diceret, Et hæc de juramento delato, & relato inter ipſas partes præſentes. 42 Abſenti certus comparendi terminus præſtandus. 43 Jurari poteſt extra provinciam judicis, apud quem litigatur. 44 Μονομερῶς. 45 Officio judicis expenſæ trutinantur. 46 Significata. 47 Dilatio pendens ſuper uno capite, non impedit proceſſum ſuper alio, diverſo tamen. *Bald.* 48 Juramentum ei deferendum, qui rei veritatem magis perſpectam habet. vid. Mynſing. 1. *obſ.* 13. 49 Jurari poteſt, vel in judicio, vel domi. 50 Acta ex cauſa poſſunt fieri in domo privata: hinc colligit Baldus, ægroti donantis aliquid in domo ſua coram judice, donationem pro inſinuata cenſeri. 51 Corporaliter ita juratur. 52 In Eccleſia jurari poteſt. vid. quæ notavi *ad l. 2.* ℑ. *de ſacroſanct. Eccleſ.* 53 Septimo. Cujac. 20. *obſ.* 3. hoc quid ſit, dixi ad *l. 22. in fin.* ℑ. *de ſacroſanctis Eccleſ.*